 606 127

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis 25 Februarii 1717.

M. JOANNE-CLAUDIO-ADRIANO HELVETIUS,

Medico Regis ordinario, è Regiâ Scientiarum Academiâ,

DOCTORE MEDICO,

PRÆSIDE.

An largiorem ſemper exigit Kinakina cibum?

I.

VITA eſt jugis cum morte colluctatio. Tantus fit indeſinenter partium corporis tum fluidarum tum ſolidarum effluxus, ut brevi corruiturum eſſet corpus, niſi aliundè jactura hæc reſarciretur. Ideò providentiâ naturæ excitata fames ſollicitat ad cibos ſumendos, qui miris modis elaborati decedentis ſubſtantiæ vicem obeunt. Quodnam cuique alimentum conveniat, non ſola conſuetudo, non ſolus guſtus, non ſolæ aſſumendorum vires ſeorſim indicant, ſed hæc omnia ſimul juncta certiorem regulam ſufficiunt. Error cavebitur naturarum, ſubſtantiæ, qualitatis alimentorum,

temporis & ordinis aſſumendorum maxima habeatur ratio. Hoc effatum à vero non prorsus abludit : *omnia ſana ſanis* ; modò copiâ non peccetur, aut non repugnet fruſtra ſollicitatus ſtomachus. Attamen qui, luxuriâ potiùs quàm neceſſitate ductus, nullis ſeſe legibus obligat, quantumvis ſit firmâ valetudine, ſeriùs ociùs intemperantiæ pœnam luet. At præſentiora & graviora impendent ægris mala, ſi accurata diætæ norma non ſervetur : in victu enim peccatum ſæpius frangit ſalutaria naturæ morborum medicatricis conamina, atque remediorum morbos debellaturorum vires infringit. Utinàm liceret omnimodâ abſtinentiâ morbos aggredi, brevi rediret ſanitas, ſed votum eſt, non artis præceptum : Vaſorum enim inanitiones ad ſummum perductæ periculoſæ. *Hippocr. aphor. 3. ſect. 1.* Igitur danda alimenta, eâ tamen adhibitâ moderatione, ut dum vires fulcire animus eſt, morbus ejuſque cauſa non adaugeantur, neque remedia ſuo priventur ſucceſſu. Vix aliâ de causâ in febribus intermittentibus ſaluberrima antidotus frequentiſſimè ſpem Medicorum fallit, quàm quòd poſt ſingulas ejus doſes vulgi præjudiciis obſequendo cibus oggeratur largior.

II.

FEBRES intermittentes gignit fermentum quoddam acidum, non modò è primis viis manans, ſed è ſanguinis ſinu præſertim ſcaturiens. Illius vi ſanguinem primò denſari indicant harum febrium prodromi, pulſus parvus, frigidæ partes, pallida cutis, ungues labiaque livida, fidem faciunt horrores, quos excitat ſerum è ſanguine expreſſum & membranas vellicans. Hæc ſanguinis denſatio rectè deducitur ab humoribus acidis, crudis & indigeſtis, quorum ſcaturiginem ab alvo repetendam eſſe indices ſunt nauſeæ, ructus, vomitus, borborygmi, ventris tenſio incipiente paroxyſmo, atque etiam hujus citior invaſio, ſi paulo antè cyathus frigidæ propinetur. Idem ſuadet curatio, quæ vulgò abſorbentibus, amaris aut etiam catharcticis perficitur. Verùm inſpiſſatus ſanguis repetito circuitionis motu iteratâque partium oſcillatione attenuatur, explicantur partes ſulphureæ, evolvuntur ſalia, eoque major fermentatio exurgit, quò ſunt copioſiores idoneæ ad fermentandum particulæ, calor urens naſcitur, ſanguis turget & cunctatur in anguſtioribus vaſis, unde dolores

partium, somnus, deliria, motus convulsivi. Hæc molestiarum plena symptomata post aliquot horas, quasi finitâ tragœdiâ, evanescunt, recursura tempore suo. Sed unde novæ accessiones? Quærenda causa in sanguine, febrile scilicet fermentum quod in cruoris sinu aliquandiu, placidum quidem, sed non innoxium, reconditur. Hoc turbantur liquores, fluidum è glandulis ventriculi stillans depravatur, bilis, succus pancreaticus, eodem velut aurâ contagiosâ afflati, hanc chylo communicant. Jam depravato chylo crescit fermentum febrile, ampliùs exaggeratur assumptis tunc alimentis copiosioribus. Multiplicati fermenti particulæ tenuiores citiùs evolvuntur proximæ accessionis autores. Quæ verò crassiores sunt, latent sopitæ, donec stato temporis intervallo evolutæ novum generent paroxysmum, si quolibet die, febrem quotidianam: si alternis diebus, tertianam: si interpositis duobus, quartanam daturæ. Ut ampliùs non fiat rediviva febris, idonea adhibeantur remedia; congruens præscribatur diæta; junctis ambo viribus rem conficient. Efficaciæ solius remedii nimiùm credere fallax est, neglecto enim victu scopum non attingent remedia etiam potentiora.

III.

INTER auxilia domando febrili fermento idonea cæteris palmam præripit cortex Peruvianus. Parte terrestri absorbet eò potentiùs acida febrilia in primis viis contenta, quò accuratior est illius poros inter & particulas hujus fermenti proportio: crudas adhuc evolvit, evolutas sic absorbet, ut mixtæ cum sanguine jam non valeant ipsius motus perturbare. Non minùs efficaciter agit in fermentum febrile sanguini permixtus, alio quàm ore commeatu, ut fidem faciunt enemata ex decocto Kinækinæ feliciter præscripta; parte enim suâ volatili & sulphureâ motum auget, attenuat, dividitque liquores crassiores, extricat heterogenea & ad exitum disponit, unde nonnunquam primo usu catharsim movet, urinas pellit, sed præcipua ejus virtus est diaphoresim excitare, quâ sensim sine sensu eliminantur fermenta sanguinis febrilia. Istam vim Kinækinæ diaphoreticam ostendunt tum ejus sapor, tum omnia quæ post ejus usum apparent phænomena. Is sapor amarus est; partes sulphureas carpit, liquores crassiores dividit attenuatque, & non secùs ac

alia ejuſdem ſaporis remedia fluiditatem ſanguinis tuetur; illius ope lactis acorem anteverti experientia demonſtrat; ſal volatile, quo turget, in eo vim arguit diaphoreticam. Idem oſtendit ab illius uſu pulſus ægrorum frequentior, etiam die intermiſſionis febrium tertianarum, cutis admodum humida & mollis, nocturnus ſudor atque uberior ægrorum calor. Si Kinakina paroxyſmum proximè ſequentem non cohibeat, hic nonnunquam eſt ſolito intenſior, & undequaque effluit ſudor non antè viſus. Ubi immodicus eſt illius uſus, de calore conqueruntur ægri, præſertim in pectore, humor per pulmones exhalans (par eſt enim Diaphoreſis pulmonum atque cutis) ſalſior eos vellicat & quaſi urit, unde tuſſis ſicca, vel ubertim generatus glandulas ingurgitat & diſtendit, atque ita comprimuntur vaſa ſanguinea, moras nectit ſanguis, hinc calor intenſior difficiliſque reſpiratio. Ægrorum Kinækinæ ope ad ſanitatem tendentium vegetior eſt appetitus, quod liquoris in ventriculum depluentis ſalia magis eſſe evoluta ſignificat; ſolito minor eſt ad ſomnum propenſio. Quidquòd immodicus Kinækinæ uſus inflammationes nonnunquam excitat. Hæc omnia vehementiore fermentationis motu ſanguinem cieri manifeſtè ſignificant. Fermenta febrilia ligari cortice diſſuadent memorata ſymptomata, quin & ſapor amarus. Recurrit nonnunquam poſt aliquot hebdomadas febris? Accuſandus parcior medicamenti uſus, vel error circa res non naturales, alimenta imprimis, aut aëris temperies auſtrina & pluvioſa : tunc enim diaphoreſis ſegnior occluſis meatibus cutis. Poſt aliquot menſes revertitur? Cauſa eſt eadem quæ primò intulit. Commentum eſt fingere fermentum febrile à corticis compedibus ſolutum.

I V.

IMPURA corpora quò plùs nutriveris, eò magis læſeris, *Hippocr. aphor. 9. ſect. 2.* Ne ergo nimius ſis in præſcribenda diæta ægrorum febre intermittente laborantium. Ingeſti copioſiùs cibi Kinækinæ efficacitatem plurimùm infringunt, illorum nonniſi imperfecta eſt coctio. Fermentum febrile in primis viis luxurians, ſuam ipſis confert indolem. Sicque hujus augetur potentia, & multiplicatur acidum. Chylo crudiore & acidiore ſanguis incraſſatur. Febrilium fermen-

torum proventus eſt uberior, eaque tenaciùs irretiuntur & vix per glandulas cutis poſſunt eliminari. Ita vim medicamenti eludunt, ut incerta aut tardior admodum evadat curatio. Ne tamen omnibus ægris cibus interdicatur; iis convenit tantùm tenuis diæta, quibus inter paroxyſmos non intermiſſio, ſed remiſſio ſolùm eſt. In his nihilominùs convenit Kinakina, modò bellè vacuatum ſit corpus ἐπαφαιρήσει, & purgatione ita remiſſio longior, ſi ſecùs factum, brevior: eadem inſtituenda diæta in febre tertiana duplici. Breve enim eſt temporis ſpatium inter paroxyſmos, quod nec juſtam medicamenti quantitatem, nec uberius alimentum admittit: eſt tamen in iſtis febribus, ubi aliqua ciborum neceſſitas incumbit: cum nempe Kinakina inteſtinorum canalem præterlabitur æquo citiùs; cortex enim ſincerus inteſtinis commiſſus pungit citatque magis alvum, inde inutile remedium: è contrà alimentis conſociatus tardè deſcendit, humores crudos morando mitigat, atque commodè per lactea ſubeundo ſanguinem ſuâ tincturâ imbuit, ſed longè tutiùs res peragetur, ſi cortici opii momentum adjiciatur. Hâc mixturâ non modò inteſtinorum ſenſus imminuitur, ſed Kinækinæ adaugetur vis diaphoretica: eodem ſufflamine uti licet in tertianis & quartanis, ubi ſalina ſanguinis craſis eſt, ubi fervidior facilè ſpumat; tunc Kinækinæ ſolius copulâ acueretur magis atque incitaretur. Hâc induſtriâ multa præcaventur incommoda, fibrarum nimia contractio, pororum conſtrictio, incitatior ſanguinis motus, ſecernendorum ſuppreſſa tranſcolatio, caloris augmentum, atque febris intenſior. In febribus tertianis aut quartanis nihil vetat alimenta ſolida concedi; ea enim eſt inter paroxyſmos intermiſſio, ut ſufficiens Kinækinæ copia poſſit præſcribi, quâ chyli vitium emendetur, & fermenta febrilia extinguantur. Ne tamen quorumlibet ciborum uſus permittatur, eligendi concoctu faciliores. Hos tamen inter ſingulas doſes non ſit ſemper religio præſcribere, ubi non appetit ſtomachus, nec de calore conqueruntur ægri. Pluries antidoto uti licet non aſſumptis cibis, dum ſcilicet nihil indicat ſanguinem vehementiore motu cieri, ſaliaque magis extricari, cùm cibi non ſint ad vim Kinækinæ augendam, ſed ad frænandam utiles.

V.

IMMERITO culpatur parcior diæta, ubi est Kinakina inefficax, vel ab illius usu deteriora fiunt morbi symptomata. Mali causa est ut plurimùm imprudens remedii exhibitio; si continens sit febris, nullâ notatâ remissione, aut exacerbationis distinctâ vicissitudine; si intermittens, sed maligna; si redundent in sanguine pravi humores; si sanguis siccior fervidiorque sit, aut partibus tenuioribus spoliatus; si quæ pars obstructione, inflammatione aut abscessu tentetur, à Kinakina abstinendum. In febribus enim continuis jam vehementior intestinus sanguinis motus, cortice exhibito, concitatur adhuc, illiusque acceleratur circuitus, unde humores præterlabuntur cutis spiracula. Quotquot in sanguine continentur diversi liquores, inordinato motu exagitati poros glandularum non subeunt, unde calor adaugetur, morbusque ingravescit. In febribus intermittentibus malignis tanta est humorum copia, tantusque orgasmus, ut non possint solius corticis ope eliminari. Citiùs recurreret paroxysmus, eòque fieret intensior, quò partes humorum magis fuissent evolutæ usu remedii, cujus partes volatiliores sanguinem tunc commoverent vehementer. Tutius est has febres aggredi venæ sectionibus, emeticis, & catharcticis; sedato orgasmo, in usu erit Kinakina cum purgantibus mixta. Dum enim hæc humores vitiosos è sanguine per glandulas intestinorum educunt, cortex absorbet cruda & acida in primas vias depluentia. Sed antequam præscribatur, diligenter attendendum, ne pulsus sit durus, lingua arida, cutis urens, aut viscerum inflammatio. Cùm sanguis siccior est & fervidior; aut partibus tenuibus spoliatus, Kinakina non præscribatur; nam tunc usu febrifugi expelluntur volatiliora, sanguis terrestris & adustus remanet, excrementitii humores fiunt crassiores, quàm ut per cola secerni queant; unde obstructiones, cachexia, icterus, hydrops, tabes. Priùs ergo sanguis fluidus reddatur remediis ac præcipuè victu idoneo. Si, quæ causæ febrem acciverunt, simul liquores densaverint & obstructiones genuerint, quæ aliquando per tempus latent, non tutus est tunc solius corticis usus. Excitatur enim motus in sanguine, quo tenuiora avolant, remanent crassiora, obstructionesque fiunt pertinaciores. Minor febrifugi dosis tunc ex-

hibenda, ut abſorbeat fermenta in primis viis ſtabulantia, aut imminuantur paroxyſmi, qui obſtructiones fovent, ſed ne ſpes ſit morbum profligandum eſſe, ni advocentur in uſum aperientia remedia, quæ concretos humores ſolvant, adjunctis catharcticis quæ ſolutos evacuent. Sublatis obſtructionibus, ſi vigeat etiamnum febris, tunc largiore febrifugi uſu debellanda. Sed ſi quæ à fermento febrili nondum extincto, aut ab intempeſtivo Kinækinæ uſu, exurgunt incommoda, emendare nitatur Medicus exhibitis uberiùs cibis, malum malo addit. In quibus enim febribus cortex convenit, ni intervalla ſint longiora, ſymptomataque minora, ſolidis uti alimentis periculo non vacat. Hæc enim obtundunt vim, quâ pollet, acida abſorbendi, virtutem illius diaphoreticam infringunt, fit novus fermentorum febrilium proventus; unde morbus contumacior.

Ergo largiorem non exigit ſemper Kinakina cibum.

Proponebat Pariſiis EMMANUEL-MAURITIUS DUVERNEY Pariſinus, Baccalaureus Medicus.
A. R. S. H. 1717. à ſextâ ad meridiem.

Typis JACOBI QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.